

trahis, & ad damnationem vocas. Quomodo ergo pro his dictis tibi venia dabitur penitenti: si ille qui ante te pro his penituit, veniam non meretur? Similiter ut scripsisti, scripsit: similiter ut penituit, penituit. Aut similiter pro penitentia debetis absolvi: aut si negas veniam penitenti, quod ego non opto, tu perarges nos pariter condemnari secundum quandam Evangelii parabolam: Oblata est Domino à Judæis adultera, ut viderent quid de ea secundum legem judicaret. Ille misericors & miserator Dominus, dixit: Si quis vestrum peccatum non habet, mittat super eam lapidem. Et tunc omnes, inquit, discellerunt. Et Judæi quidem licet impij & increduli, tamen erubuerunt conscientias suas: ne cum ipsi essent peccatores, in peccatores viderentur ulcisci. Et latro ille de cruce dicebat ad alterum latronem, qui simul pendebat in cruce & blasphemabat, Quia nec tu Deum times, vel quod in eodem nos sumus supplicio. Nos cum hæc eadem que in nobis sunt condemnemus in alijs, nec cum Judæis erubescimus, nec cum latrone mitescimus.

INVECTIVARUM RUFFINI IN DIVUM Hieronymum liber secundus.

SUPERIORE quidem libello dogmaticas illius objectiones, quas alijs impingit immerito, in se ipso teste rectorissimus: nunc vero jam explicitis & post tergum rejectis his, que fidei vicinæ sunt cautionibus, confidentius ei de cæteris criminacionibus respondebimus. Est enim etiam illud accusationis ejus gravissimum caput: quod similiter, ut cætera mendacia, veritatis falce refecandum est. Ait enim confederatos esse quosdam Origeni ad perjuriū: & istud mysticæ ejus traditionis arcanum absconditum esse in sexto Stromatum libro: nec ab ullo alio in tot sæculis nisi à se solo deprehensum. Verum ne risum ei moveam si jurisjurandi sacramento alienum me esse confirmem: à confederatione perjurij planiore via ad manifestationem veritatis incedam: ex eo quod facillime probare possum, nec habuisse me unquam libros istos: nec legisse à quoquam presbitero. Et sicut me non possum excusare de eo, quod quale sit nescio: ita ne accusari quidem possum de eo quod vel si sit, penitus ignoro. Iste tamen qui arguit vel ab illo traditum, vel à discipulis ejus dici, quod scriptum est: qui loquitur veritatem cum proximo suo, proximus non sit, nisi ille qui perfectus sit, & symmystes. Et iterum quod Apostolus dicit: Quia sapientiam loquimur inter perfectos: & quod scriptum est: Nolite mittere sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos: ut asserant, inquit, per hoc veritatem non omnibus aperiantur.

Videamus quod ipse in istis ipsis electis suis commentarijs libro secundo, sub eo capitulo ubi scriptum est: Propter quod dependentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra: post pauca: Propter quod, inquit, Paulus ipse perfectus in Epistola alia loquebatur: Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Ergo hoc est quod jubet, ut unusquisque mystica queque atque secreta, & ea que Dei veritate sunt plena loquatur cum proximo suo, ut dies diei eructet verbum, & nox nocti indicet scientiam: hoc est, clara quaque & lucencia indicet his, qui merentur audire, Vos estis lux mundi. Porro tenebrosa & involuta, & omni sacramentorum nocte velata alijs referat, qui & ipsi nox, tenebræ, vel caligo sunt. De quibus dicitur: Et caligo sub pedibus ejus, haud dubium quin Dei. Nam & in monte Sina Moyses ingreditur in turbinem & caliginem, ubi erat Deus. Et de ipso Deo scriptum est: Posuit Deus tenebras latibulum suum, Loquatur itaque veritatem atque mysteria unusquisque cum proximo suo, nec det sanctum canibus: neque mittat margaritas ante porcos: sed quicumque oleum veritatis habuerint, illos in thalamum Iponi & pœnum regis inducat.

Videte quæso vos & diligentius perspicite: si alium aliquem in omnibus his que scribit, nisi se & sua dicta condemnem. Si inimici sui lacerare eum & arguere pro scriptis suis vellent: quo alio ordine, quibus alijs adversum eum sententijs uterentur: nisi quibus ipse adversum se, tanquam adversus alios utitur? Condemnatio adversum istum si proferenda sit, Epistola sua sufficit, si solum nomen immutes; textus enim criminum, nec in alium omnino quemquam

Arcanum mysticæ traditionis.

Hieronymus.

sicut in ipsum venit solum. Quæ damnari jubet, hæc iterum observari jubet: quæ agit, arguit: quæ detectatur, operatur. Beati discipuli ejus, qui eum vel audierunt vel imitantur. Verumtamen quoniam perjurij ejus dogma proponitur: nihil ad me si iste vel agat vel scribat: quia apud nonnullos fratrum etiam hanc nobis inurere conatus est maculam, & nunc iterare per literas, secundum ab illo datam regulam: quid ego ipse de perjurio sentiam profero: ut de se ipso iterum sibi ipsi iudicium derelinquam. Etenim cum Dominus & Salvator noster dicat in Evangelijs, Dicitum est antiquis, non perjurabis, reddes enim Domino juramenta tua: ego autem dico vobis, nolite jurare omnino: Omnis qui docet quacumque ex causa pejerandum esse, ego dico quod alienus sit à fide Christi, & ab Ecclesiæ unitate catholice.

Sed velim nunc posteaquam de meo, ut ipse statui, anathemate satis feci, elaborare paululum, si patienter accipitis: & hoc quod iste per orgia quædam & mysticas fæderationes, perjurium observari dicit: quos habeat cultores & symmystas aperire. Certa est enim & satis vera Dei illa sententia que dicit: Quia ex fructibus eorum cognoscetis eos: & iterum ex fructibus, inquit, arbor cognoscitur. Et nos ergo sicut iste dicit perjurij dogma suscepimus. Si ad hoc edocti sumus & talis in nobis arbor plantata est: non potest fieri, ut non tales aliqui ex nobis sæpius germinaverint fructus: verum etiam mystici dogmatis autoritate coaluerint. Et quidem quantum ad personam meam pertinet, quam solum ex his omnibus que scribit lacerare se putat, non mihi ipsi feram testimonium: nec dicam quod etiam sit jurandum, cum forte necessitas exigat: & si non cautus sum, at certe timidus esse cupio. Postremo & si observare non possum, errasse me noverim. Hæc ergo non dicam: tamen five errem in his, five caveam: iste iterum causam commissi alicujus, qua me in talibus arguat, non habet.

Ego autem qualiter apud istum sacratissima sit hujus non dogmatis, sed fœdissimi & verissimi vitii observantia, iterum ex scriptis ejus probabo. Nihil enim ex livore & invidia confictum adversum eum proferam: ut ipse contra nos facit: sed ipsum se testem & scripta sua adversum eum producant: ut sciat se non ab inimicis argui, sed à semetipso redargui. Libellum quemdam de conservanda virginitate Romæ positum scripsit: quem libellum omnes pagani & inimici Dei, apostatæ & persecutores, & quicumque sunt qui Christianum nomen odio habent, certatim sibi describebant: pro eo quod omnem ibi Christianorum ordinem, omnem gradum, omnem professionem, universamque pariter fœdissimis exprobrationibus infamavit Ecclesiam: & ea que gentiles falso in nos conferre crimina putabantur: iste vera esse, imo multo pejora à nostris geri quam illi criminabantur asseruit. Nam primo illas ipsas virgines de quarum virtute scribere videbatur infamat: & dicit de eis his verbis.

Aliæ virili habitu veste mutata, erubescunt se fœminas esse quod nate sunt: crinem amputant: & impudenter erigunt facies eunuchinas. Suntque que cilicis vestiuntur, & cucullis fabrefactis. Ut ad infantiam redeant: imitantur noctuas & bubones. Dicit & mille alia de his probra graviora. Sed ne viduis quidem parcit. Ait quidem de ipsis, nulla illis nisi ventris cura: & que ventri proxima sunt. Alia quoque ingerit obscœna quamplurima. Sed & monachorum omne genus, quam fœde, quam turpiter laceret: longum est si ipsius verbis vel scriptis velim probare. De diaconis vero & presbyteris, que dedecora descripsit, pudet retexere. Initium tamen lacerationis ponam ipsius: ex quo facilius conjici possit, quantum in consequentibus augetur invectio.

Sunt alij, inquit, de mei ordinis hominibus loquor: qui ideo presbyterium & diaconatum ambiunt, ut mulieres licentius videant. Omnis his cura de vestibus si bene oleant: si pes laxa pelle non folleat. Crines calamistris vestigio rotantur: digiti de anulis radiant: & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cum videris, sponso magis æstimes esse quam clericos.

Et posteaquam speciatim non tam vitia quam crimina sacerdotum vel ministrorum exprobrans, etiam ingressus eorum & salutaciones ad matronas, non solum decoloravit, verum etiam execrabilem fecit: quomodo posteaquam omne genus Christianum concidit & infamavit, sibi quoque non parcat ipse, audite.

Perjurij dogma.

Arguit Epistolam ad Eustoch. impudentissimum mendacium.

Hieronymi contextus.

Hieronymus.

Redeo enim post excessum quemdam ad hoc quod proposueram, propter quod & libelli hujus res poposcit fieri mentionem: & ostendam apud istum tam licita haberi perjuriam: ut scriptis quoque suis deprehendi ea non erubescat. Igitur in hoc ipso libello, cum moneret, saculares codices legi non debere: & diceret, quid faciet cum psalterio Horatius: cum Evangelijs Maro: cum Apostolis Cicero: nonne scandalizabitur frater, si te viderit in idolo recumbentem? Et cætera cum dixisset ejusmodi, quibus alienam esse à Christiano assereret librorum secularium lectionem, inserit etiam revelationem quamdam ad se divinitus factam, satis honorificis refertam præceptis.

Refert enim quod posteaquam saculo renunciasset, & ad Deum fuisset conversus, amore tamen secularium librorum valde teneretur: nec facile posset tali carere desiderio: & pro hoc subito, inquit, raptus in spiritu, ad tribunal judicis pertrahor: ubi tantum luminis & tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris: ut projectus in terram, sursum aspiciere non audeam. Interrogatus conditionem, Christianum me esse respondi. Et ille qui presidebat, mentiris ait, Ciceronianus es, non Christianus. Ubi thesaurus tuus est, ibi & cor tuum. Ilico obmutui, & inter verbera, jam enim eadi me iusserat, conscientie magis igne torquebar. Clamare tamen cœpi, & ejulans dicere: Miserere mei Domine, miserere mei. Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad presertim genua provoluti qui asstiterant, precabantur ut veniam tribueret adolescenti, & errori locum penitentie commodaret: exacturus deinde cruciatum si gentiliū literarum libros aliquando legissem. Ego qui tanto constitutus articulo, vellem etiam majora promittere, dejerare cœpi, & nomen ejus obstans dicere: Domine si unquam habuero codices sacculares, aut si legero, te negavi. In hæc verba dimissus, revolutus, inquit, ad superiores.

Audistis quam novum, quam honorificum juramenti sui exposuisset genus? Residente in tribunalibus judice Domino Jesu Christo, assistentibus angelis & intercedentibus pro se, inter verbera & cruciatum jurat se saculares libros nec habiturum unquam, nec lecturum. Relegantur nunc quæso que scribit, si una ejus operis pagina est, que non cum iterum Ciceronianum pronunciet, ubi non dicit: sed Tullius noster, sed Flaccus noster, sed Maro. Jam vero Chrysiptum & Aristidem, Empedoclem & cætera Græcorum auctorum nomina, ut doctus videatur & plurimæ lectionis, tanquam fumos & nebulas lectoribus spargit. Denique inter cætera, etiam Pythagoræ libros legisse se jactat: quos ne extare quidem eruditi homines asserunt. Sed iste ne aliqua ex parte juramentum suum de auctoribus gentiliū præteriret, etiam ea que non sunt scripta legisse se scribit. Sed in omnibus opusculis suis fere multo plura & proluxiora testimonia de his suis, quam de Prophetis nostris vel Apostolis ponit. Puellis quoque & mulieribus scribens, que non utique nisi de nostris scripturis ædificari & cupiunt & debent, exempla eis Flacci sui, & Tullii, vel Maronis intexit.

Jam vero in illo libello, quem de optimo genere interpretandi intulavit: ubi præter tituli annotationem nihil optinuit, sed totum pessimum est. Ibi enim asseverat hæreticos illos quibus nunc communicat: & incurrit illam sententiam Apostoli nostri, non sui (ille enim suum aut Flaccum dicit, aut Tullium) qui ait: Qui autem discernit, si manducat damnatus est. In illo ergo libello, quod nullo genere verbum de verbo interpretari ratio sinat: quod modo exi iterum rationale visum est: capita integra dicta ex codice Ciceronis inseruit. Nonne ipse dixerat, quid faciet cum psalterio Horatius: cum Evangelijs Maro: cum Apostolis Cicero? Nonne scandalizabitur frater, si te viderit in idolo recumbentem? in quo utique ipse se idololatriæ reum statuit. Si enim qui viderit legentem hoc, scandalizatur, multo amplius qui scribentem, Sed quoniam qui ad idololatriam devolvitur: non plene, nec integre prophanus efficitur, nisi prius negaverit Christum, ipse Christo in faciem coram sedenti in tribunalibus, assistentibus quoque clarissimis ministris angelorum dicit: Si legero vel habuero gentiliū libros, te negavi. Et nunc non solum legit & habet, non solum describit & comparat: verum etiam divinis eos verbis & sermonibus Ecclesiasticæ ædificationis interfert. Res quam dico, omnibus qui legunt libellos ejus satis nota est, & tulle non indiget. Sed est hominis de tam sacrolego perjurij barathro se cupientis eripere: adhibere sibi aliquod excusatio-

Somnium Hieronymi.

Invidet Rufinus Hieronymo sceleratum secularium litterarum.

Mentitur Rufinus.

Imperitia Rufini.

nis commentum & dicere: non modo lego, sed ea que in adolescentia didici, quia sum totius memorie, ita ut possim plura simul de diversis capita continuare, ipsa nunc profero. Si quis à me modo exigeret: ut probarem si hodie antequam Sol oriretur, nox fuisset in terris: aut si usque ad solis occasum dies illustraverit mundum: quid aliud dicerem, nisi magis ab illo, qui dubitaret de eo quod omnes noverant, causas dubitationis quam à me probationis oportere deposci?

Sed in hoc licet omnes sciunt esse verum quod dicimus, & omnes intelligant: tamen quia de anima hominis res agitur, de perjurij crimine, de negationis Christi sacrilegio: non potest facilis haberi condemnatio. Nunquid illum imitabimur qui reos, nec interrogatos, nec respondentes condemnat: & non solum non respondentes, sed nec presentes: & non solum presentes, sed & mortuos: non solum mortuos, sed & eos quos semper ante laudaverat: & non solum eos quos laudaverat, sed & eos quos secutus fuerat, & magistros habuerat? Timeatur Domini sententia, primo illa que dicit: Nolite judicare, ut non judicemini. Et iterum: Qua mensura mens fueritis, eadem & remetietur vobis. Quid ergo? licet ex superfluo, unum tamen proferam testem adversum eum pervalidum: & cui præscribere non potest: ipsum iterum se & sua proferram scripta. Quamvis ergo omnes libelli ejus hoc testentur, & superflua de hoc mea videatur assertio: tamen utendum aliquo speciali testimonio est, ne minus plenum his qui forte scripta ejus non legerunt, videatur esse quod dicimus.

Cum libellos ejus quos adversus Jovinianum scripsit, reprehendissem: cuidam Domnioni beate memorie leni, & frater adversi qui sibi hoc ipsum indicaverat, iste referens excusat, & sus Joviniam dicit: Nullo genere potuisset fieri se errasse, hominem, qui omnium haberet scientiam. Cum ergo enumerasset vel syllogismorum genera, vel dicendi ac scribendi artes, quas videlicet ille qui cum reprehenderat, ignoraret, continuo subiungit hoc: Stultus, inquit, ego: qui me putaverim hoc absque philosophis scire non posse, qui meliorem styli partem elegerim eam que deleret, quam que scriberet. Frustra ergo Alexandri verti commentarios, nequicquam me doctus magister per Porphyrium Porphyrii introduxit ad logicam: & ut humana contemnam, sine causa Gregorium Nazianzenum & Didymum in scripturis hæreticis habui.

Hic est qui Christo dixit, te negavi, si vel habuero gentiliū codices vel legero. Si nihil aliud, vel de Porphyrio silere debuerat, qui specialis hostis Christi est, qui religionem Christianam quantum in se fuit, penitus subvertere conatus est scriptis suis: quem iste nunc introductorem & instructorem ad logicam habere gloriatur: nec argumentari potest se ante hæc didicisse. Ante enim quam converteretur, necum pariter & literas Græcas & linguam penitus ignorabat. Post juramentum omnia hæc, post sacramenti dati sponsonem, sine causa augmentatur, continuo dicitur nobis: Erras homo, Deus non irridetur, nec syllogismi apud eum de Alexandri commentarijs intexuntur.

Ut video frater male tibi suspicatus es quod introductor tuus sit Porphyrius. Quo te introduxit perfidus? Si ad illum locum ubi ipse est: tibi & stectus & stridor dentium est. Ibi enim & apostatæ & inimici Dei, fortassis & perjurij ibi habitant. Non bonum introductorem tibi elegisti. Magis si accipis consilium meum: ad illum nos introductorem pariter convertamus qui introducit ad patrem: qui dixit: Nemo venit ad patrem nisi per me. Doleo frater si credis: & si non credis, doleo te suspiciones alieni perjurij, in antiquis & veterulis chartulis pericrurari: cum in tuo ore jugis ac sine fine perjurij inexplicabile sacrilegium perseveret. Nonne recte tibi conveniet illud dici quod Apostolus dicit: Tu autem qui Judæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo instructus per legem, confidis te ipsum ducem esse cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ veritatis in lege? Qui ergo doces alium, te ipsum non doces? Qui dicit non mœchandum, mœcharis? Qui prædicat non furandum, furaris? Qui abominaris idola, sacrilegium perjurij committis? Et quod est ultimum & gravissimum: nomen Dei per te & blasphemias tuas blasphematur inter gentes.

Sed transcamus jam hinc ad alterius objecti purgatio-

Hieronymi contextus.

Hieronymi contextus.

Invectivæ Rufini.

Mendax hic Rufinus non audiendus.